

(*Dicitur etiam Metaphys Transpositio contrariorum. Sic in priori exemplo sunt contraria duo. 1. Non vivas ut edas. 2. Edas ut vivas, h&c si transponuntur ut subjectum prioris fiat predicatum posterioris: Et ex predicato prioris fiat subjectum posterioris. Cic. I. offic. Possessor domui non domus possessor dignitatem affert. Divina mysteria non credere experiundo, sed experiri credendo oportet. Fit in dominatu servitus, Et in servitute dominatus, Cic. pro Dejot.*)

### 3. INVERSIO Αντιστροφὴ

est, cum ostendimus pro nobis facere argumentum, quod contra nos detorquetur. *Sic Christus Matth. 15. 26. 27. cum dixisset ad mulierem Syrophænissam: Non est honestum sumere panem filiorum & obiicere catellis: Illa invertit: Imo, etiam canes comedunt de micis cadentibus à mensis dominorum suorum.*

(*Huc pertinet distichon, quod Veneti, citante Dressero, in bello cum Maximiliano I. de Mattheo Lango Episcopo Gurcensi misso ad faciendam pacem, sparserunt:*

*Venerat ut Venetos Gurcensis perderet auro;*

*Sed vicitus Dominum perdidit ille suum.*

*Quod Episcopus hunc in modum convertit:*

*Venerat ut Venetos Gurcensis perderet auro:*

*Non vicitus, Venetos perdidit & Julium (Papam.)*

*Nota. Habet hæc figura locum magis in Colloquiis quam in orationibus.)*

4. COMMUNICATIO Συνοικείωσις  
est, cum idem contrariis tribuitur, ut,  
*Avaro tam deest quod habet, quam quod non habet.* Hieronym. *Qui non defendit, nec*